DEO DUCE

MEDITATIO S. EVANGELII,

FERIÆ SECUNDÆ

PASCATOS

Additis S. Patrum dictis, Quæstionumq; aliquot decisione, ad uberiorem textus, cùm opus est, explicationem, & Heterodoxorum refutationem.

QUAM

In Regia Aboënsi Academia

PRÆSIDE

DN. ÆSCHILLO PETRÆO

S. S. Theol. Doct. Profess. & Civitatis ejusdem Pastore,

Examini subjicit, in Auditorio Majori, horis solitis

Ad diem Martij. 28 *Anni* 1651.

HENRICUS HENRICI Von MYNDEN

ABOENSIS.

Gregorius hom: 23. in Evang.

Hoc foris egisse Dominum in oculis corporis quod apud ipsos agebatur intus in oculis cordis. Sic ipsi intus amabant & tamen dubitabant, sic ipse foris & præsens abest & quis sit, non ostendit: De se ergò loquentibus præsentiam exhibet, sed de se dubitantibus cognitionis suæ speciem abscondit.

Damas: Orat. 3. de imaginibus P. 805.

Homines malunt exempla quàm verba, quia loqui facile est præstare difficile. Atq; utinam tàm multi benefaecrent quàm multi loqvuntur bene.

ABOÆ,

Imprimebat PETRUS Wald/ *Acad. Typog: 1651.*

Nobiliſſimo, Admodùm Reverendo in CHRiſto Patri ac DOMINO.

DN. JOHANNI MATTHIÆ OLAVIJ/

S.S. Theologiæ Doctori eximio, & diæceſeos Stregnenſis Epiſcopo eminentiſſimo, Conſiſtorij ibidem Præſidi ſolertiſſimo, Mecœnati ac Patrono ſuo, humili animi obſervantiâ æternùm ſuſpiciendo.

UT ET

Reverendis, Clariſſimis & Doctiſſimis VIRIS,

DN. M. ANDREÆ M. JULINO, Paſtori Nycopenſi orientali fideliſſimo, vicinarumq; Eccleſiarum Præpoſito digniſſimo.

DN. M. NICOLAO L. NYCOPENSI Log: & Poëſ: Profeſſori accutiſſimo, Præceptori ac ſtudiorum Inſpectori ſolertiſſimo.

DN. OLAO ANDREÆ SPONGIO, Paſtori in Stigtomta vigilantiſſimo.

DN. M. PETRO JOH. REFTELIO, Præceptori ac Fautori plurimùm amando.

DN. JONANNI SCHMEDMAN/ Univerſitatis Aboënſis artium liberalium cultori impigerrimo.

Dominis, Mecœnatibus, Promotoribus, Fautoribus & benefactoribus ſuis ſummæ obſervantiæ & amoris Zelo proſequendis, Meditationem hanc Sacram in obſervantiæ & grati animi Symbolum officioſè & reverentèr litat Reſpondens

Henricus H. von Minden.

FERIA SECUNDA
PASCATIS.

In Sanctæ & summè laudandæ TRINITATIS, Patris, Filii & Spiritus Sancti Nomine.

ET dixit ita ad Populo, mementote diei hujus, quo egressi estis de Ægypto è domo servorum, quod robusta manu eduxerit vos JEHOVA illinc: ne ergò commedito fermentatum panem. Exod: 13, 3. Commemorat Moses his verbis, 1. quod Israëlitæ ex Ægypto profecti sunt, Feria Secunda primi Paschatis in manu excelsa, sine impedimento, videntibus Ægyptijs qui hunc eorum abitum sicuti prius fecerunt, jam non amplius prohibere potuerunt. Retinuissent quidem eos diutius, ut laboribus, & servitute eorum fruerentur, sed DEUS populi sui misertus noluit, illos amplius Ægyptiorum esse mancipia, noluit Israëlitarum parvulos amplius in flumine suffocari. Ægyptij eo tempore, valdè tristes erant, occupati in sepultura suorum primogenitorum, quos percussit DEUS: commemorat Moses Exod: 12. ℣. 29. quod percussisset DEus in noctis medio in tota Ægypto, omne primogenitum, â primogenito Pharaonis, qui solio ejus sedebat usq; ad primogenitum Ancillæ, quæ erat in carcere, & omne Primogenitum Jumentorum; Sicut a Israëlitis, hæc secunda Feria, primi Paschatos, non exiguum gaudium attulerat, quod liberati â tàm durâ servitute, â Pharaonis tyrannide in necandis illorum parvulis ab illusionibus & opprobrijs, â plagis & verberibus. Ita 2. Præcipit

etiam Moſes ne Iſraëlitæ unquam obliviſcantur hujus beneficij: & ait Moſes ad populum, mementote dies hujus iu quâ egreſſi eſtis de Ægypto & de domo ſervitutis. Et quod in manu forti eduxit vos JEHOVAH. Ita etiam nos habemus, unde hac ſecunda Feria Paſcatis, meritò gaudere & exultare poſſumus. Recordamur hodiè non minùs quàm heri, & ſequentibus Ferijs Paſcalibus, CHRIſtum JEſum reſurrexiſſe, Paradiſum & regnum Cœlorum nobis & parvulis noſtris reſeraſſe, quantumvis hoſtes noſtri Dœmones, & omnes portæ infernales ægrè tulerunt id. Gaudeamus itaq; & exultemus dicentes: in morte CHRIſtus hæſit.

ORemus etiam DEUM, ut hodiernum Feſtum ita celebrare, Evangeliumq; ita meditari queamus, ut cedat in nominis Divini gloriam, nobis in augmentum & incrementum doctrinæ, & bonorum operũ, in ſpem & fiduciam, & tandem in æternã beatitudinem. Dicamus igitur: Pater noſter. &c.

Evangelium ſcribit S. Lucas cap. 24. v. 13.

ET ecce, duo ex illis ibant eodem die in Caſtellum, quod aberãt ſpatiorum Sexaginta ab Hieroſolymis, nomine Emaus: Et ipſi confabulabantur inter ſe de his omnibus, quæ acciderant. Et factum eſt dum confabularentur, ac diſputarent & ipſe JESUS appropinquans ibi una cum illis. Cæterum oculi illorum tenebantur, ne eum agnoſcerent. Et ait ad illos, qui ſunt hi ſermones, quos confertis inter vos ambulantes, & eſtis triſtes? Ac reſpondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ad eum, Tu ſolus Peregrinus es Hieroſolymis, neq; cognoviſti, quæ facta ſunt illic his diebus? & dixit

dixit eis quæ? At hi dixerunt ei, de JESU Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens opere & ſermone coram DEO & toto populo. Et quomodo eum tradiderunt ſummi Sacerdotes & Principes noſtri in condemnatione mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem ſperabamus, eum eſſe illum qui redempturus eſſet Iſraël. Atqui ſuper hæc omnia tertius dies eſt hodiè, â quo hæc facta ſunt. Sed & mulieres quædam ex nobis attonitos reddiderunt, quæ diluculo pervenerunt ad monumentum. Et non invento corpore ejus venerunt, dicentes ſe etiam viſionem Angelorum vidiſſe qui dicerent eum vivere. Et abierunt quidam eorum, qui erant nobiſcum ad monumentũ, & reperierunt ſicut mulieres dixerunt, ipſum verò non viderunt. Et ipſe dixit ad eos: O ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ loquuti ſunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit pati CHRISTUM & intrare in gloriam ſuam? Et exorſus â Moſe & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipſo erant. Et appropinquaverunt caſtello, quo ibant, & ipſe præſe ferebat ſe longiùs ire. Et coëgerunt illũ dicentes, manè nobiſcum, quoniam vergit ad veſperã, & inclinatus eſt dies; & intravit ut maneret cum illis. Et factum eſt dùm accumberet cum eis accepit panem & benedixit, ac fregit & porrigebat illi. Eorum verò aperti ſunt oculi, & cognoverunt eum, &

ipſe ſubduxit ſeſe â conſpectu eorum. Et dixerunt inter ſe, nonne cor noſtrum ardebat in nobis, dùm loqueretur nobis in via, & aperiret nobis Scripturas? & ſurgentes eadem horâ, regreſſi ſunt Hieroſolymam & invenerunt congregatos Undecim, & eos, qui cum illis erant, dicentes: Surrexit Dominus, & verè apparuit Simoni. Et illi enarrabant, quæ geſta erant in via, & quomodo fuiſſet agnitus ipſis ex fractione panis.

DIſcipuli dubij ſunt de ejus reſurrectione, & neſcientibus quid ſentiant vel ſtatuant, refert S. Lucas duos ex illis: quorum unus ex illis hic nominatur Cleophas, exiviſſe ex urbe Hieroſolymitana, & contuliſſe ſe ad Emaus. In itinere autem eos loqvutos ait, de rationibus quæ erant, Chriſti reſurrectionis; Dum a, illi interea colloqvuntur, adeſt illis Chriſtus JEſus in perſona viri incogniti & eos interrogat de materia colloquij, de cauſa triſtitiæ, & Cleophas cum utriuſq; nomine narraſſet, quæ acciderant, & quid audiverant de illius reſurrectione. Incipit Chriſtus eos arguére, quod eſſent ſtulti & tardi ad credendum verbis Prophetarum, fideliter exponens eis Prophetias de CHRiſti morte & reſurrectione. Hoc colloquium extenditur eo uſq; dùm appropinquat Emaus, rùm CHRiſtus fingit ſe ire longiùs, illis verò ſeriò illum invitâribus ad hoſpitium ſecum, ivit cum eis & manifeſtavit ſe coram eis, quis ſit, vlz ille ipſe JEſus, de cujus reſurrectione erant ſolliciti. Confirmatur in hac hiſtoria cumprimis articulus fidei noſtræ de CHRISTI Reſurrectione.

PAR-

PARTES duæ ſunt,

I. De CHRiſti cum Diſcipulis in itinere colloquio.

II. De manifeſtatione CHRiſti coram illis in Emaus.

ATq; hæ ſunt iſtæ Partes, quas hâc vice brevitèr & ſimpliciter tractare conſtituimus: *Omnipotens & æterne Deus, Pater noſter cæleſtis dilectiſſimus, nobis omnibus benedicat, cunctaq; utilitèr & fructuoſè cœtare faciat.*

PARS PRIMA.

In quâ Meditamur:

I. Cauſã hujus colloquij Chriſti cum Diſcipulis.

H. duo diſcipuli, in hoc itinere colloquuntur de rebus pijs & utilibus, & quidem ad æternam ſalutem conſequendam ſitu neceſſarijs, vlz de CHRiſti paſſione de JESU Nazareno 1. Quis fuerit vlz Propheta potens in opere & ſermone, coràm DEO & omni populo. 2. Quomodo tradiderunt eum Sacerdotes ſumi & Principes, in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. 3. Quomodo ſperaverint hi diſcipuli quod ipſe eſſet redempturus Iſraëlem, jam verò ſuper hæc omnia, tertia dies eſt, quo hæc facta ſint. 4. Quid ſentiendum de relatione mulierum quarundam, ex quâ non mediocrem terrorẽ acceperint, quãdo mulieres ante lucem viſitaverunt monumentum, & non invento CHRiſti corpore, dixerunt ſe Angelos vidiſſe, qui appertè teſtati ſunt eum vivere. 5. Quid etiam ſentiendũ ſit de illo, quod nõ mulieres ſolùm referunt, ſed viri, & quidã ex noſtris inquit, vlz ipſi CHriſti diſcipuli, inter quos etiam Petrus, qui etiam viſitavit monumentum, qui dixit ſe omnia inveniſſe, ſicut mulieres dixerunt, ipſum verò non invenerunt. Hæc fuit col-

loquii

loquij discipulorum materia. De hac materia collo-
quebantur inter se, & quidem tristes magno flagrantes
desiderio scire, quomodo hæc res tàm magni momẽti,
sese haberet. Si enim Christus non resurrexisset, me-
tuendum imò dolendum spem ipsorum fuisse vanam &
fruſtraneam. Si verò resurrexisset summo desiderio
tenebantur, quomodo ipsum citò citiùs viderent. Ex-
ultabant inimici Christi illudebãt eis omnes qui Christũ
pro Messia habebant: Ab his illusionibus, ut liberaren-
tur tãdem desiderabant, hi discipuli. In tali a. collo-
quio occupati discipuli, de improviso, informationem
per necessariam, & sufficientem ac plenariam â Christo
ipso accipiunt.

L. C. Sint colloquia nostra honesta, de rebꝰ licitis &
honestis, de rebꝰ pijs & ad salutem nostrã necessarijs, ta-
lia quæ neq; nos ipsos neq; alios corrumpunt. Corrũ-
punt bonos mores, colloquia prava, 1. Cor: 15. ℣. 33. Col-
loquia prava, inquit Lutherus, i. e. prava consortia, ubi
plena sæpè verba offensionum, contra fidem dicuntur
bonasq; conscientias perturbant. Tale colloquium erat
illud cujus meminit, Apostolus citato loco: manducemꝰ
& bibamus, cras enim moriemur, quale colloquium
extat Sap: 2. & per totum caput 5. Esa: 22. ℣. 33. & seqq.
Et cap: 56. ℣. 11. & 12. fratres Josephi, colloquebantur
de Josepho, dicentes: Ecce Somniator venit, venite oc-
cidamus eum & mittamꝰ in cisternã aliquã, dicamusq;:
fera pessima devoravit eum, & tunc apparebit, quid illi
prosint somnia sua Gen: 37. ℣. 19. & 20. Verum colloqui-
um hoc sequebatur aliud colloquium, Gen: 42. ℣. 21. &
22. & loqvuti sunt ad invicem, meritò hoc patimur, quia
peccavimꝰ in fratrem nostrum videntes animæ ejus an-
gustias, dum deprecabatur nosꝰ & non audivimus ideir-

co ve-

co venit ſuper nos iſta tribulatio: é quibus unus Ruben ait. Num quid, non dixi vobis; nolite peccare in puerum, & non audiviſtis me, jam ſaugvis ejus exquiritur. Audiatur, & ſervetur Apoſtolica admonitio Eph: 4. ℣. 29, & 31. Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat ſed ſi quis bonus ad ædificationem neceſſitatis, & det gloriam audientibus, & nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei in quo ſignati eſtis in diem redemptionis. Omnis amaritudo, ira & indignatio, & clamor & blaſphemia tollatur â vobis, cum omni malitia.

Altera cauſa colloquij Chriſti, cum his diſcipulis, eſt ipſorum mutua concordia, Chriſt. & ſancti Angeli verſantur, ubi eſt pia concordia Syr: 25. ℣. 1. Pſal: 133. Mulieribus illis tribus concordibus apparet bonus Angelus. Marci 16. verſu. 5.

L. C. 1. Studeamus concordiæ & amicitiæ, in collegiis, in vicinia, in convivijs Quando uti dictum eſt colloquantur, hi Diſcipuli meſti & triſtes, ſed cõcordiæ, tecũ quæ ſunt de hiſce ut aliquid conſolationis in his inveniant, appropinquavit ipſe JESUS & ibat cum illis.

L. C. 2. Inſigne illius teſtimoniũ quod DEus apud Eſaiam profert cap. 42. ℣. 1. ad 13. Item Pſal: 145. ℣. 14. Non dubitemus de CHriſti apud nos præſentiâ, ubi ejus in nomine congregamur, Matt: 18. ℣. 28. & non ſolùm invitat CHRiſtus ad ſe omnes laborantes & onerantes, Matth. 11. Sed etiam ipſe venit ad eos, ipſe eſt bonus paſtor quærens ovem perditam. Luc: 15.

II. CHriſti interrogationẽ.

Tenebãtur, inquit S. Lucas oculi eorũ, & ait ad illos, qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad invicem ambulantes, & eſtis triſtes eumq; reſpondiſſet unus ex illis, cui

nomen Cleophas ac dixisset ei, *Tu solus Peregrinus in Hierosolyma, non cognovisti quæ facta sunt ibi his diebus? Iterum quæsivit CHRistus dicens: Quæ? quæ interrogatio non procedit ex ignorantiâ, sed ut eorum incredulitas rectius argueretur.*

L. C. Interrogationes & omnia examina cum discipulis & auditoribus, ut eorum profectus constet Doctoribus Ecclesiæ, dum ut ipsemet auditores reddantur attentiores, in audiendo verbo, & partib. Catecheseos perdiscendis laudanda. Et hac de causa examina, in Scholis & Academijs, nec non in Templis ac domibus necessariò instituantur: & hoc est quod videtur. Præcipere Deus Deut. 6. ℣. 5, 6, 7. Diliges Dominũ DEum ex totô corde tuo, ex totâ animâ & fortitudine tuâ, eruntq; hæ verba quæ præcipio tibi hodie in corde tuo; & narrabis ea filijs tuis & meditaberis in eis in domo tua sedens, & ambulans in itinere, dormiens atq; consurgens. Erunt ea inquit Lutherus in Scholio, i. e. sæpe repetes, urgebis & exercebis ea ne quasi rubiginem aut situm cõtrahant aut obscurentur, sed hæreant infirma memoria & versentur in ore, ut nova & cognita maneant. Quò enim sæpiùs tractatur Verbum DEI eò fit recentiùs & clariùs ubi v. non exercetur mox deletur & efficaciam suam amittit.

III. CHRisti increpationem.

Et dixit ad eos, inquit S. Lucas, ô stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ loqvuti sunt Prophetæ, nonné hæc oportuit Christum pati & ita intrare in gloriam suam? Vocat eos stultos propter cœcitatem intellectus; tardos corde propter tarditatem, ad credendum Scripturis Prophetarum, de CHRisti morte, ac resurre-

ſurrectione, quas Scripturas. Debebant jam intelligere eas quandoquidem tam diu fuerunt cum Chriſto, qui ſuis diſcipulis hæc ſæpiùs propoſuerat.

L. C. Auditores rudiores & tardiores ad percipiendum, quæ traduntur, aliquando acriùs & vehementiùs, compellandi & ita ad attentionem excitandi. Noverat autem Chriſtus hos diſcipulos, ſic faciliùs ad attentionem exitari, ſi audirent ſe nonnihil redargui, Apoſtolus ſuos Galatas cap. 3. ℣. 1. 2. 3. Sic alloquitur, ô ſtulti Galatæ quis vos faſcinavit, non obedire veritati, antiquorũ oculos JESUS CHRiſtus præſcriptus eſt, in vobis crucifixus. Hoc ſolùm â vobis volo diſcere: ex operibus legis Spiritum accepiſtis, an ex auditu? fidei ſic ſtulti eſtis, ut cum ſpiritu cæperitis, nunc carne conſumeris? Auditorum eſt dicere ex Pſal: 140. ℣. 5. Percutiet me juſtus placidè & objurget me hoc erit oleum capitis. Eſt quidem decentiũ non litigare, ſed manſvetos omnes doctiores eſſe, oportet patientes, cum modeſtia tolerantes malos, corripientes eos qui reſiſtunt, ſi quando det illis DEus pœnitentiã ad cognoſcendum veritatem, & reſipiſcant, â Diaboli laqueis, â quo capti tenentur ad ipſius voluntatem. 2. Thimot. 2. ℣. 24. & ſeqq: ſeniores non increpabunt, durius ſed adhortabantur, ut Patrem, Juvenes ut fratres, anus ut matres. Juvenculas ut ſorores, in omni caſtitate, viduæ honorandæ. Quæ verè viduæ, 1. Tim: 5. ℣. 1. 2. 3. prædicandum verbum, inſtandum, arguendum, increpandum, adhortandum cum omni patientia, longanimitate & doctrina, 2. Tim: 4. ℣. 2. cavent ſibi auditores ne ſint in illorum numero, qui ſanam doctrinam non ſuſtinent, nec ad ſuum deſiderium coacervabunt, ubi doctores nec prurientes habent aures, nec à veritate ad fabulas convertantur. 2. Tim: 4.

IV. Informatio Christi. Illa habuit explicationē Mosis & Prophetarum. Nam interprætatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant, inquit S. Lucas Evang: quia vero Evangelista non apposuit ea loca in Mose & Prophetis, non necessarium ducimus illa scrupulosius inquirere.

L. C. Discimus hinc quod Christus nobis commendat verbum suum Mosen & Prophetas, ut illis credamus tanquam verissimis testibus de resurrectione CHristi & aliis articulis fidei. Ideoq; Sacra Biblia comparanda diligenter legenda & meditanda. Ioh: 5.

PARS SECUNDA.

Spectavimus hactenus in Prima Parte, hos duos Discipulos cum Christo deambulantes et colloquentes, et plenarie etiam eos informatos, ut etiam cor eorum arderet dum apperiret is Scripturas. Ut ipsi post Christi discessum fatentur; dicentes, nonne cor nostrū erat ardēs in nobis dùm loqueretur in via et apperiret nobis Scripturas? Iam videbimus quomodo CHristum secum ad Cœnam invitant.

In quâ Meditamur:

I. Discipulorum gratitudinē.

Appropinquaverunt inquit S. Lucas Evang: vlz Discipuli & Christus ad villam & oppidum quò ibant & finxit se longiùs ire & coegerunt illum dicentes: Mane nobiscum advesperascit & inclinata est dies.

L. C. Gratitudo discenda proponitur discipulis & audi-

auditoribus', Meminerit itaq; discipuli & auditores illius, Gal: 6,6. Commendatur Galatæ ab Apostolo quod non spreverunt illius infirmitatem, sed sicut Angelum exceperant Gal: 4. ℣. 14. 15 & conseq. 1. Cor: 9, 7. & seqq.

L. C. Sicut hi discipuli invitant Christum ad se cum jam advesperascit &c. *Ita & nos Christū circa finē hujus mundi invitabimus ut nobiscū sit in tot tumultibus & turbis, quæ circa mundi finem excitabuntur, ne à vera fide dimoveamur, & in errorem aliquem seducamur. Erunt enim tempora periculosa, ut pijs divinâ gubernatione, cum primis apparebit* Matth. 24. ℣. 1. 5. 6. 7 8. 9. 10. 11. 12. Luce 19. ℣. 44.

II. Christi ad ingrediendum cum eis promptitudinem.

Voluit hic discipulos deserere, priusquam eos plenarie informasset, at ardentes in fide de sua resurrectione, non grave duxit tàm diu cum illis commorari.

L. C. Ostendit Christus hac suâ commoratione, & colloquio longiore, cum Discipulis his rudibus, quàm probe ipsi competat, quod sapientiæ DEI tribuitur, quod sunt illius delicitæ esse cum filijs hominum. Proverb: 8. ℣. 31. Recte & hic fecisse deprehenduntur discipuli, quod non tæderet ipsos, Christum tàm diu audire, & quidem postquam eos graviter increpasset, stultos & tardos appellasset, utrumq; auditoribus & discipulis exemplū reliquerunt imitandum, ne tædeat ipsos cum pro necessitate aliquo diutiùs detinentur in concione. Beati prædicantur qui custodiant vias sapientiæ, Prov: 8 v. 32. & seq. Nunc ergò audite me filij, beati, qui custodiunt vias meas, audite disciplinam meam, & estote sapientes et nolite abjicere eam. &c.

modum. Et factum est, inquit S. Lucas, cum accumberet cum eis, accepit panem & benedixit ac fregit, & porrigebat illis, & statim apperti sunt oculi eorū & cognoverunt eum. Apparet CHRisto insitatumfuisse ante passionem, peculiarem modum frangendi panem, quem quia & hic discipuli eum agnoscunt, simul Christus oculos eorum illuminat, & se ad captum illorum accommodat, ut possint illum cognoscere. Cum a. discipuli hic tàm certi essent, quod ipse CHRistus esset, quem hic habebant in mensa convivam, & de illius resurrectione jam ampliùs non dubitarent, evanuit Christus ex oculis eorum.

L. C. Meminerimus invitare Christum nobiscum ad prandia & cœnas prout ipse vult. Apoc: 3. ℣. 20. Stat ad ostium & pulsat non ut ei benefaciamus, sicuti eò fine discipuli eum secum adduxerunt, sed ut benedicat cibo nostro. Invitamus autē per pias preces. Cogitemus etiam eum omnipræsentem esse, cum comedimus & bibimus, ubicunq; duo vel tres congregantur in nomine meo &c. Matt: 18. Ergò dona Dei reverenter habenda, illis ad necessitatem & hilaritatem utendum, postea reponenda ne quid ex ijs pereat. Adest enim ipse verus Paterfamilias Christus JESUS ipse panem frangit, & distribuit nobis per nostras manus. Meminerimus etiam dulcissimam futuram conversationem cum Christo in regno ejus, ubi cum illo, cum Abrahamo, cum Isaaco & Jacobo accumbimus, non habituri terrestre, sed Cœleste, Manna illud absconditum. Apoc: 2. ℣. 17.

IV. Reditum Discipulorum

post

post manifestationem, ad reliquos undecim; qui Hierosolymis erat, & cum eis de illis in itinere & mensa contingerant Relationem. Et surgentes, inquit S. Lucas, eadem horâ regressi sunt Hierosolymam; & invenerunt congregatos undecim, & eos qui cum ipsis erant, dicentes, quod surrexit Dominus vere & apparuit Simoni: & ipsi narrabant, quæ gesta erant in via & quomodo cognoverunt eum in fractione panis.

L. C. Opera DEI & quæ ad communem salutem pertinent, non sunt tacenda sed revelanda. Opera Dei revelare & confitere honorificum est. Tob. 12. ℣. 7.

DEUS, qui per unigenitum Filium tuum æternitatis nobis aditum devictâ morte reserasti vota nostra, quæ prævenis endo aspiras, etiam adjuvãdo prosequeris: ut & perfectam libertatem consequi mereamur, & ad vitam proficiamus æternam, per Dominum nostrum IESUM CHRistum.

BEnedictio, & Claritas, & Sapientia, & Gratiarum actio, & Honor, & Virtus, & Fortitudo, DEO nostro, in Secula seculorum, Amen. Apoc: 7, 28.

QUÆSTIONES.

AN hæc historia Lucæ eadem sit cum illa quã Marcus describit 16. cap. v. 12. Aff.

Quia omnes circumstantiæ concordant, utrobique duorum discipulorum fit mentio, quibus Christus in via apparuit. Quod Marcus dicit, CHRistum apparuisse, τοῖς περιπατοῦσιν καὶ πορευομένοις ambulantibus & euntibus, id Lucas sic exponit, Christum συμπορεύεσθαι αὐτοῖς, una cum illis abisse. Quod Marcus dicit, Christum illis apparuisse ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ, in alia forma, id Lucas sic exponit *oculi eorum tenebantur, ne eum agnosce-*

gnoscerent, ut intelligatur causam hujus rei non esse quærendam in facie CHRISTI, sed in oculis discipulorum. Augustinus lib. 3. de conf Evang: cap. 25. ex textus circumstantijs erudite colligit, unam eaden q; historiam à Marco & Luca describi. Cui non elucet (inquit) prætermisisse Marcū, quæ Lucas narrando explicavit? hoc est quæ cum illis locutus fuerit JESUS, antequam agnoscerent eum, & quomodo eum in fractione panis agnoverint? quandoquidem mox ut dixit illis apparuisse in alia effigie euntibus in villam, continuè conjunxit. Et illi euntes annunciaverunt cæteris, nec illis crediderunt. Quasi possent nunciare quem non agnoverant, aut possent agnoscere, quibus illa effigies ejus apparuerat. Quomodo ergò eum agnoverint, ut nunciare possent, Marcus sine dubio prætermisit.

II. An CHRISTus mendacij accusari possit, ideò quod simulaverit se longiùs profecturum? Neg.

Augustinus lib. de mend. c. 13. *Non mendacium est omne quod fingitur, cum veraciter, aliud ex alio significandi gratia deducendo, tam multa fingantur. Si ergò nihil aliud significasset JESUS in eo, quod longiùs se ire finxit meritò indicaretur mendacium esse. Porrò autem si benè intelligatur, & ad id quod voluit significare, referatur, invenitur esse mysterium.* Et in lib. 2. quæst: Evang: c. q. 51. Quod scriptū est de domino, finxit se longiùs ire, non ad mendacium pertinet, non n. omne, quod fingimus, mendacium est, sed quando id fingimus, quod nihil significat, tùm est mendacium. Cum autem fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis alioquin omnia, quæ à sapientibus & Sanctis Viris, vel etiam ab ipso Domino figurate dicta sunt mendacia deputabuntur, quia secundum usitatum intellectum non subsistit veritas in talibus dictis.